

Notandum est si statuta introduxerint electionem praesidis, manere iura acquisita praesidis libere instituti ab Episcopo diocesano. Praeses iam institutus manet in officio per tempus statutum in collatione⁴.

GIANFRANCO GHIRLANDA, S.J.

IV

D. Utrum in electionibus, ad normam can. 119, 1^o peragendis, adhuc requiratur in tertio scrutinio maioritas absoluta suffragiorum eorum qui sunt praesentes, an, excepto casu paritatis, maioritas relativa sufficiat.

R. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam*¹.

1. *In hoc can. 119, n. 1^o agitur de normis universalibus pro actibus collegialibus, et quidem circa electiones canonicas, peragendas*². Agitur de normis

⁴ Cf. L. CHIAPPETTA, *Il Codice di Diritto Canonico - Commento giuridico-pastorale*, I, Napoli 1988, 600.

¹ Responsum — iam sub novo nomine *Pontificii Consilii de legum textibus interpretandis* — in coetu plenario diei 8.5.1990. Approbatur a S.P. in audientia diei 28.6.1990. Publici iuris factum in *L'Osservatore Romano*, 5.7.90, 2; *Communicationes* 22 (1990) 11. *Promulgatur* in fasciculo diei 1.8.1990 in *AAS* 82 (1990) 845.

² Sane, non agitur de omnibus aspectibus electionum, de quibus Codex sub titulo IX: «*De officiis ecclesiasticis*», capite 1: «*De provisione*», articulo 3: «*De electione*», huius libri I.

suppletoriis, scilicet pro casibus quando ius, sive universale sive particulare, aut statuta personae iuridicae (vg. ius proprium vg. Institutorum vitae consecratae), non continent alias normas, etenim canon incipit verbis «... *nisi iure vel statutis aliud caveatur*».

2. Dubium propositum continet verba «*utrum... adhuc requiratur...*», in tertio scrutinio, maioritas absoluta. Quae verba, nisi quis attentius ea consideret, viderentur implicare sensum quemdam temporalem, scilicet quod hucusque, seu usque ad tempus quod maneret indeterminatum, requisita fuisset maioritas absoluta, sed ex nunc dubium ponatur.

Illud «*adhuc requiratur*» tamen, alium habere sensum satis obvium apparet, si consideretur quod alludere videatur ad duo priora scrutinia, siquidem quaestio ponitur de tertio scrutinio. Scilicet, in duobus primis scrutiniiis, ut quis electus habeatur certe requiritur maioritas absoluta, prout explicite habetur in textu canonis. Quid autem in tertio scrutinio? Unde, quaestio utrum et in hoc tertio scrutinio «*adhuc requiratur*» maioritas absoluta, an sufficiat relativa³.

In explicatione huius responsi authentici abstractionem facio etiam a sensu clausulae: «Ad actus *collegiales* quod attinet» utrum restringatur ad actus collegiorum, seu universitatum personarum collegialium, an comprehendat actus cuiusvis coetus ut talis qui non nisi «collegialiter» exprimere potest propriam voluntatem. In sequentibus loquor de «collegio», sed idem valet de quolibet «coetu» qui debeat ad electionem procedere (cf. cann. 165-177).

³ Liceat lectorem invitare ut attentionem convertat ad significationem termini «*maioritas absoluta*», etenim passim asseritur, minus tamen recte, illam haberi per «dimidiam partem plus unum» suffragiorum. Maioritas absoluta habetur per numerum suffragiorum «*ultra dimidiam partem*». Ne quis putet, his duobus expressionibus, idem dici attendat, quaeso, ad numerum suffra-

3. Illud «*adhuc requiratur*», suggerit praeterea argumentum fundamentale iuxta quod nonnulli interpretabantur et in tertio scrutinio requiri maioritatem absolutam.

Canon enim 119, 1^o intendit statuere maioritatem necessariam in electionibus, atqui pro primis duobus scrutiniis explicite determinat hanc esse maioritatem absolutam, ergo concludere licet, iuxta ipsos, eandem maioritatem absolutam esse necessariam et in tertio scrutinio, pro quo terminus maioritas non qualificatur, simpliciter quia terminus maioritas non invenitur. Non enim de alia maioriata sermo esse posse videtur, in toto contextu n. 1, nulla quidem tenoris explicitatione.

Eo vel magis ita videri poterat illis «*adhuc*» requirenda maioritas absoluta, quod si in n. 1^o agitur de maioriata necessaria, maioritas, sensu proprio iuxta ipsos, dicenda est illa absoluta.

4. Inter Codicis commentatores, PIÑERO pro certo tenebat ita legendum esse canonem: «*Patet, is qui iuxta hanc normam eligatur, semper erit electus maioriata absoluta (aut propter paritatem)*»⁴.

Quam interpretationem inveniebat auctor con-

giorum imparium: si, exempli gratia, tria sint suffragia, dimidia pars plus unum essent duo et dimidium, sed quia non existunt suffragia dimidiata, maioritas absoluta inter tres, iuxta expressionem «*dimidia pars plus unum*», significaret tria suffragia, seu, in casu, unanimitatem. Dum si maioritas absoluta habetur per numerum suffragiorum «*ultra dimidiam partem*», duo suffragia iam sunt plus quam unum et dimidium.

⁴ «*Es claro que el que resulte elegido con esta norma siempre lo será con mayoría absoluta, o al menos, en el peor de los casos con empate...*» (*La Ley de la Iglesia*, I, Atenas, Madrid 1985, p. 245).

formem menti legislatoris, ne scilicet aliquis electus haberetur a quadam simplicissima et paene ridicula maioritate relativa.

5. In hypothesei quidem can. 101 § 1 prioris Codicis, maioritas absoluta computabatur inter praesentes electioni qui suffragium ferebant, demptis praeterea suffragiis nullis. Unde faciliter evenire poterat electio maioritate quadam ridicula, imprimis si paucissimi adessent, deinde si eorum plura essent suffragia nulla. Sic vg. ex collegio 20, praesentes esse poterant et suffragium ferre vere pauci. Immo, si praesens esset unicum membrum, vel unicum esset suffragium validum, nonne dicendum iam haberi maioritatem absolutam suffragium ferentium, demptis suffragiis nullis?

Quoad tertium scrutinium, in quo sufficebat maioritas relativa inter varios candidatos, etiam haberi poterat, maioritas valde ridicula, immo satis probabiliter ita fere necessario, et etiam unico voto poterat quis eligi, si vel nemo alius praesens vel omnes alii praesentes abstinerent vel suffragium ferrent nullum.

Iam vero, huiusmodi electiones non nisi mere formaliter et iuridicistice (sensu peiorativo) dici poterant collegiales, seu quae exprimerent voluntatem totius collegii per illas paucissimas voces.

6. Hinc mutatio systematis in Codice vigenti: requiritur imprimis ut praesens sit maioritas absoluta membrorum collegii, ut ad electionem procedi possit. Si igitur collegium constet ex 20, exempli gratia, saltem 11 praesentes sint.

Deinde maioritas absoluta, quae requiritur pro electione in primo et secundo scrutinio, iam non est intelligenda respectu ferentium suffragia valida, sed

respectu praesentium, ergo in casu collegii 20 membrorum, praesentibus 11, necessaria erunt saltem 6 suffragia valida ut quis electus habeatur in uno ex his scrutiniis.

In tertio autem scrutinio, introducitur alia maioris momenti mutatio, scilicet quod maneant tantummodo duo candidati, unde facilius concipitur quod, etsi admittenda esset possibilitas maioritatis relativae sicut in priori Codice, non ita parvum numerum suffragiorum electus probabilius accipiet.

7. Facile igitur quis admittet, in mente coetus commissionis, intentionem fuisse excludere possibilitatem electionum numero infimo suffragiorum, cum introduxit dictas mutationes, in specie ultima duorum tantum candidatorum pro tertio scrutinio.

Illa mens ne electiones fierent paene ridiculae, absque dubio, fuerat etiam mens legislatoris sub CIC 1917, cum in iure canonico non solum quaeratur maximus numerus suffragiorum, sed in quantum possibile est etiam unanimitas. Sed admitti potest quod, experientia duce, coetus commissionis putaverit talem possibilitatem parvissimi numeri suffragiorum melius excludi posse per supra memoratas mutationes, quam per solam bonam voluntatem candidatorum.

8. Tamen ex una parte notetur quod etiamsi maioritas absoluta requireretur pro tertio etiam scrutinio, adhuc non omnino excluderetur possibilitas maioritatis absolutae satis etiam ridiculae.

Canon enim postulat maiorem absolutam respectu praesentium, ut dictum est, sed quia numerus praesentium sufficiens est ultra dimidiam partem collegii (secus non haberetur «quorum»), pauca tamen suffragia sufficerent pro electione. Sic, vg. ex collegio

20, quorum 11 essent praesentes, sex suffragia, seu infra $\frac{1}{3}$ suffragiorum possibilium membrorum collegii, deciderent de electione.

Ex alia autem parte, etiam notetur quod ex exigentia quod maior absolute pars membrorum collegii sint praesentes, iam augetur numerus ex collegio suam vocem exprimentium, etenim et qui se abstinere aut suffragium nullum dent, modo hoc negativo propriam aliquo modo vocem exprimunt et voluntatem!

9. Quin immo, etiam praeter intentionem dictam Coetus Commissionis ne, ut plurimum, habeantur electiones cum numero suffragiorum ridiculo, illud aliud extremum «*si paritas maneat*», periculum non excludit quod numerus suffragiorum possit, in limite, esse vere ridiculus.

«*Si paritas maneat*» necessario intelligi debet de paritate in numero suffragiorum infra requisitum pro maioritate absoluta, etenim duo candidati nullo modo habere possent, ambo, numerum supra dimidiam partem suffragiorum! Si, exempli gratia, ex coetu 20 fidelium, omnes sint praesentes, maiortas absoluta haberetur per saltem 11 suffragia. Iam vero paritas nequit haberi nisi infra numerum istum. Et tunc id est valde notandum, canonem nullum limitem infimum statuere, infra quod paritas iam non consideretur. Quid si paritas habeatur cum unico suffragio valido pro unoquoque candidato, dum omnia alia suffragia data sint nulla, nonne, ex ipsa lege, senior aetate electus habebitur cum unico suffragio?

Si ergo paritas decidit electionem, etiam si habeatur in numero suffragiorum vere infimo, cur non et electio erit decisiva etsi suffragia valida non attingant maioritatem absolutam? Non esset sibi ipsi cohaerens canon si exigeret maioritatem absolutam

praesentium, ut numerus altior haberetur pro electione, et simul admitteret paritatem decisivam etiam in numero infimo.

10. Fortiter et variis rationibus argumentabatur in favorem lectionis can. 119, 1^o iuxta quam maioritas absoluta *adhuc* requiratur praesertim JIMENEZ-URRESTI⁵.

Prima quidem ratio iuxta ipsum habetur:

— Silentium de maioriata relativa, quod interpretandum non est ac si lacuna haberetur; qui ita interpretaretur se sineret duci mera inertia prioris can. 101 § 1 qui admittebat maioriata relativam in tertio scrutinio.

— Immo, hoc silentium dicendum vere eloquens, siquidem omissio huius mentionis maioriatae relativae occurrit non obstante manifesta intentione conservandi ipsum textum prioris canonis in quantum fieri poterat. Agitur proinde de omissione voluntaria, non de mera oblivione.

11. Aliam deinde praebet rationem:

— ex mutatione quod in tertio scrutinio duo tantum manent candidati, unde necessario consequitur quod unus obtinebit maioriata absolutam, nisi habeatur paritas.

Non auctorem fugit id affirmari non posse nisi omnes praesentes suffragium ferant et quidem validum. Ideo subiungit intentionem legislatoris esse ut electiones serio fiant, ideoque legislatorem excludere «inhibitiones» (non assistentiam), «abstentiones», aut suffragia ferre voluntarie nulla⁶.

⁵ Código de Derecho Canónico, sub directione L. DE ECHEVERRIA, B.A.C., Madrid 1983, in h.c., pp. 95-96.

⁶ Considerabant necessariam maioriata absolutam praete-

12. His variis argumentis, unum simpliciter opponitur irrefutabile argumentum ex textu ipso canonis. Non quidem ex eo quod pro hoc tertio scrutinio non explicetur necessitas maioritatis absolutae sicut pro duobus primis, seu ex silentio, sed argumentum inde procedit quod manifesta est hypothesis canonis ut in tertio scrutinio absolvatur electio, utpote quod in tertio scrutinio tantum considerantur duae possibilitates, scilicet «aut electio aut paritas».

Iam si paritas occurrat, — et vel hoc ipsum factum quod pro tertio scrutinio Canon 119, 1^o praevidet possibilitatem paritatis, iam indicat legislatorem non considerare unicam possibilitatem maiorem absolutam — tunc legislator ipse, per hunc canonem, imponit «electionem legalem», «ille», scilicet, «*electus habeatur qui senior est aetate*».

Si vero, non paritas, sed electio habetur, haec haberi debet utique maiore, non enim nisi maiore exprimitur voluntas collegii. Attamen quia, ex natura rei, non necessario habebitur maioritas absoluta, relinquitur ut sufficiens esse debeat maioritas

rea V. DE PAOLIS et A. MONTAN, ex exigentia *spiritus canonis novi*, quin tamen sensum huius spiritum elucidant; *quod si non detur maioritas absoluta, tunc electus est qui, obtenta paritate in secundo scrutinio*, senior est aetate, etiamsi in hoc tertio scrutinio minorem numerum votorum obtinuerit, quam alius candidatus. (Il Diritto nel Mistero della Chiesa, I, 2^a Ed. (a cura del Gruppo Italiano Docenti di Diritto Canonico), P.U. Later., Roma 1966, 356, 5).

Haec opinio non considerat quod duo candidati qui ex secundo ad tertium scrutinium transeunt, non necessario obtinuerunt paritatem in illo secundo, sed manserunt candidati pro tertio scrutinio propter maiorem relativam. Unus fortasse numerum minorem obtinuit, sed quia cum alio tertio candidato parem numerum obtinuit, mansit candidatus pro tertio scrutinio, propter maiorem aetatem respectu huius tertii.

relativa. Ex textu canonis, non admittitur tertium scrutinium inefficax. Verumtamen, si exigeretur maioritas absoluta, faciliter illud saepius inefficax de facto esset.

Quod non necessario habenda sit semper maioritas absoluta, procedit ex possibilitate abstentionum et suffragiorum, sive voluntarie sive etiam involuntarie sed ex inadvertentia vel errore, invalidorum⁷.

Nec aliud ius illis duobus candidatis agnoscitur nisi expectativa electionis per maioritatem, ex natura rei non necessario absolutam, aut per legem si paria fuerint suffragia pro utroque candidato, in hoc quidem tertio scrutinio. Neque aliud scrutinium, neque alia electio praevidentur.

13. Argumentis in favorem sententiae exigentis maioritatem absolutam «*adhuc*» in tertio scrutinio, faciliter, ut existimo, satisfit.

Evidens est, ut scripsit JIMENEZ-URRESTI iuxta

⁷ Inter commentatores Codicis, nullam praebebant opinionem circa quaestionem:

J. HORTAL, *Código de Direito Canónico*. Tradução oficial: Conferencia nacional dos Bispos do Brasil. Notas e Comentários: Pe. Jesús S. Hortal, S.J., Edições Loyola 1983, in can. 119. [Notetur nullam dari editionem vulgarem «officiale», cum unice textus latinus fidem faciat].

E. MOLANO, *Código de Derecho Canónico*. Edición anotada (a cargo de P. LOMBARIA e J.I. ARRIETA), E.U.N.S.A., Pamplona 1983, al c. 119. Nulla mutatio in quarta editione anni 1987.

P.V. PINTO, *Commento al Codice di Diritto Canonico* (a cura di Mons. P.V. PINTO), Pontificia Università Urbaniana, Roma 1985, ad can. 119.

E. KNEAL, *The Code of Canon Law. A Text and A Commentary* (commissioned by the Canon Law Society of America. Edited by J.A. CORIDEN, etc.), Geoffrey Chapman, London 1985, p. 83.

J. FERRER ORTIZ, *Manual de Derecho canónico*, E.U.N.S.A., Pamplona 1988, p. 170.

supra dicta, legislatorem velle ut electiones canonicae serio, non ioco vel ludo, fiant. Sed ex hoc minime sequitur legislatorem excludere intendere vel etiam excludere posse, sive abstentiones sive suffragia, etiam voluntarie, nulla. Quod ex errore nulla haberi possint suffragia, nemo est qui infitietur. Multae sunt rationes propter quas suffragium nullum esse potest ut constat ex can. 172 § 1⁸. Quin immo, quo iure supponi potest in electionibus canonicis seriis haberi non posse suffragia voluntarie nulla? Nonne vel ipsa conscientia potest ea imponere, ne votum quis det personis quas aestimat omnino indignas?

14. Ad silentium canonis quod attinet, admitti certe potest illud non procedere ex inadvertentia. Quid inde? Eloquens fortasse dici poterit silentium, sed non eloquentia quae pronuntiet maioritatem absolutam pro tertio scrutinio, etenim tunc canon, in hoc n. 1, esset sibi ipsi contradictorius, exigens ex una parte ut terminus imponatur electioni, ex altera vero, considerans ad hoc tantum duos modos plane insufficientes: aut maioritatem, absolutam ex hypothesi, aut paritatem. Prout enim dictum est, maiioritas absoluta non necessario habebitur, sed dari posset tertium quid, scilicet maiioritas relativa, quae tamen, ex hypothesi, non sufficeret pro electione.

Silentium sane aliter explicari potest, et debet, scilicet quia mutatio verborum veteris can. 101 § 1 «*post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio*», ea intentione facta est ut modus ipse electionis substantialiter mutetur, manente quidem

⁸ Adhuc haberi posset suffragium nullum ex inhabilitate suffragium ferentis (can. 171 § 1), ad quam attentio deficere potuit.

intentione ut cum tertio scrutinio concludatur electio. Iuxta Codicem enim 1917, non tantum in duobus primis scrutiniis sed et in tertio scrutinio haberi poterant plures candidati, ideoque, si in primo vel secundo maioritas absoluta non fuerat obtenta, ne nimis protraherentur electiones, sed concluderentur in tertio scrutinio, admittebat explicite canon pro hoc tertio scrutinio sufficere maiorem relativam.

Can 119, 1^o ergo mutavit substantiam quoad modum eligendi, non quidem, ut dixi, quoad necessitatem concludendi electionem cum tertio scrutinio, sed alium modum statuendo pro eodem fine, scilicet ut in tertio scrutinio maneant tantummodo duo candidati, nihil determinando de maiore, quam poterat exoptare absolutam, sed non excludendo quod etiam sufficiat maioritas relativa pro hoc tertio scrutinio.

15. Notari adhuc potest, dici non posse quod totum n. 1^{um} huius canonis procedere in hypothesi maiore absolute. Id verum est, prout explicite asseritur in canone, de duobus primis scrutiniis, ut habeatur electio. Et de duobus primis tantum.

In secundo scrutinio canon ipse, quamquam non explicite adhibeat terminum maiorem relativam, hanc implicite admittit pro electione duorum candidatorum qui ad tertium scrutinium transibunt. Ex hypothesi enim nullus obtinuit maiorem absolutam, secus electio iam esset conclusa, sed manent candidati in tertio scrutinio «*qui maiorem suffragiorum partem obtinuerint*», ut patet maiorem partem «relativam» inter varios candidatos.

16. Si igitur in tertio scrutinio, in quo manent duo tantum candidati, electio concludenda est sive solutione legali paritatis, sive maiore, haec maiori-

tas necessario potest esse *etiam* relativa, cum maioritas absoluta poterit non haberi ratione sive abstentionum sive suffragiorum invalidorum.

Argumentationes in favorem maioritatis absolutae etiam in tertio scrutinio, non modo manent pure theoreticae cum rationem non habeant facti quod haec impossibilis esse potest propter suffragia nulla vel propter abstentiones praesentium, verum etiam non possunt fundari nec in tenore canonis, siquidem maioritas sensu proprio est vel absoluta vel relativa, neque in logica canonis ipsius, cum pro transitu ad tertium scrutinium duorum candidatorum canon tribuat momentum iuridicum maioritati relativae.

Tandem, ex actis coetus commissionis, prout usque nunc habentur in *Communicationes*, nulla habetur explicatio de mutatione a maioritate relativa canonis 101 § 1 CIC 1917, ad introductionem duorum candidatorum pro tertio scrutinio qui concludere debeat electionem⁹. Sub vetere can. 101 § 1, data

⁹ Anno 1968 servatur maioritas relativa pro tertio scrutinio, et habetur formulatio satis curiosa: «... placuerit ... aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio eorum qui suffragium ferunt (aut eorum qui sunt praesentes), quasi maioritas relativa consideranda esset non inter duos candidatos, sed inter suffragium ferentes (vel inter praesentes). Ni fallor sensus non potest esse dubius: maioritas relativa est in favorem unius candidati respectu alterius; sed considerantur suffragia suffragium ferentium (aut praesentium, prout in fine approbatum est), non sicut in Codice praecedenti suffragia valida (*Communicationes* 21 [1989] 147).

In sessione anni 1969 formula praecedentis sessionis confirmatur (*Ib.* 169), sed ordo clausulae «eorum qui sunt praesentes» mutatur «*propter logicam iuridicam*», ita ut iam non habeatur possibilitas erroneae interpretationis de qua supra. Etiam anno 1971 iterum approbatur formulatio; et propositio unius consultoris ut in casu paritatis novum admittatur scrutinium reicitur (*Communicationes* 22 [1990] 53).

possibilitate plurium candidatorum, valde probabilis erat maioritas tantum relativa quae, de explicita assertione canonis, sufficebat, ut cum tertio scrutinio concluderetur electio. Sub can. 119, 1^o facilius concipi et optari potest ut concludatur cum maioriata absoluta, sed non est unica possibilitas, immo nec revera magis probabilis, dum tamen manet eadem intentio legislatoris ut cum tertio scrutinio concludatur electio.

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.